33

DE SACROSANCTA
ET INDIVIDUA
TRINITATE
ORATIO

QUAM HABUIT IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO

Tertio Kal. Junii Anno MDCCLXXIX.

AD SANCTISSIMUM D. N.

PIUM SEXTUM.

MARCHIO RINALDUS DE BUBALO

PATRITIUS ROMANUS,

ET COLLEGII CLEMENTINI CONVICTOR.



ROMÆ M. DCC. LXXIX.

EX TYPOGRAPHIA CRACAS.


SUPERIORUM FACULTATE.

BEATISSIMO PATRI
AC DOMINO NOSTRO
PIO SEXTO
PONTIFICI MAXIMO

RINALDUS DE BUBALO
FELICITATEM.

C*UM universus Orbis Christianus magnopere lætandum sibi esse censeat*, BEATISSIME PATER, *quod publico Ecclesiæ bono Te Pontificem vere Summum Deus Optimus Maximus conservarit, tum ego, qui ob initæ Palestræ rationem sub auspicatissima, splendidissimaque Tutela tua vivo, quique pro veteri sodalium meorum prærogativa Orationem de Augusto* TRINITATIS MYSTERIO *habitam Sanctissimis tuis pedibus Sisto, in communi Urbis, & Orbis lætitia gaudium continere non possum. Quid enim voluptate plane non gestiam, cum amantissima tui Sponsa omnium*

*Fidelium Mater Ecclesia suis prope Sedibus consur-
gere, tibi occurrere, ac restitutam tibi valetudinem
vehementer gratulari videatur? Cum præclaræ illæ
tuæ, ac plane Regiæ animi Virtutes Innocentia, Re-
ligio, Magnanimitas, Consilium, Beneficentia, Hu-
manitas, eæque maxime digna Pontifice Caritas, &
Providentia jam omnes Te divinitus sospite in tuto
sint, ac Universo Terrarum orbi ornamento, atque
exemplo diutius sint futuræ? Cum artes liberiores,
ac disciplinæ, plures, ac diversæ Classes Industriæ,
Paupertas denique ipsa ad Te Auspicem, Patronum,
ac Parentem prorsus suum manus sustollant, tibi be-
nedicant, atque in tua incolumitate se quoque sal-
vas, atque integras sentiant? Vides porro,* BEATIS-
SIME PATER, *quot, & quam magnæ gaudendi suppe-
tant mibi causæ; ad quas illa etiam haud cæterarum
minima accedit, quæ a gratissima, obsequentissimaque
animi erga Te mei voluntate proficiscitur. Nunc re-
stat, ut, quam pro Te capio lætitiam, eam tibi una
cum debitis, libentibusque pro sapientissimi Imperii
tui diuturnitate votis sacro quodam jure devoveam,
ac reddam. Erit humanitatis tuæ,* BEATISSIME PA-
TER, *bonum hoc Fidelitatis testimonium læto animo
accipere; Beneficentiæ, Apostolica Benedictione remu-
nerari.*



ORATIO.

QUemadmodum, Beatissime Pater, Auguſtæ Cognitio Trinitatis nihil Chriſtiano Populo prodeſſet, niſi ejuſdem etiam, quo par eſt, obſequio recolendæ accederet perneceſſaria ſcientia; ita, ſi qua eſt homini pro ſummo bono ſollicitudo, & contentio, quæ certe eſt maxima, ea tota in hoc potiſſimum nobis conferenda eſt, ut, qui Divinas jamdiu Perſonas per Fidem novimus, iidem ipſis, quem ſingillatim repetunt ſibi, cultum, Chriſti opitulante Gratia, accuratiſſime perſolvamus. Cum enim in eo Catholicæ Religionis ſumma, imo et quantacunque eſt, Religio continetur; tum adoranti Deum *in Spiritu,*

tu, (*a*) *& veritate* infinitus profecto, ac supereffluens mercedis cumulus, Deus ipse promittitur. Quamquam autem unus, idemque sit, qui foris operatur, Deus, atque unus hoc ipso, idemque immutabilis Latriæ cultus eidem debeatur; quod tamen singulæ TRINITATIS Personæ proprio quodam agendi modo gaudere vulgo hominum percipiuntur, ad cujuslibet idcirco opera nostrarum mentium oportet accommodemus obsequium. Attendamus igitur, quinam, habita uniuscujusque operum ratione, Genitori Deo, qui Deo Filio, quique Spiritui Caritatis Deo præcipuus a nobis honor tribuendus esse videatur. In quo tamen nequis, obsecro, suspicetur hæc proinde a me quæri, quasi vero plura, eaque dissimilia cultus genera erga Deum inducenda esse autumem: Cum enim perinde hoc esset, ac Deum natura unum in plures malitiose distrahere; nefas profecto est, nedum dicere, sed tantummodo cogitare. Illud quidem ex animi sententia confirmo, cum quibusdam præsertim operationibus, & officiis Divinæ delectentur Personæ, amplissimum sane ipsis, ac perjucundum Religionis nostræ testimonium futurum, si unum, individuumque Deum in Trinitate adorantes, singulas tamen Personas pro munerum, operumque, quibus gaudent, ac se se nobis ostendunt, ratione peculiariter recolamus.

Atque ut inde exordiamur, unde æternæ Generationis principium deducitur, non alia procul dubio

(a) *Joan.* 4. 23.

dubio erga Patrem obſequii noſtri ratio eſſe debet, niſi quæ notioni, quam de ipſomet Patre dux, et magiſtra ſalutis Revelatio tradit, accurate conveniat. Cum itaque *Beatus, & ſolus potens*, (*b*) *Rex Regum, & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre* poteſt*, cui honor, et Imperium ſempiternum* Cæli, ac Terra effuſis gaudiis, ac vocibus ſupremo concinant Patri, tum Angeli cum timore, et tremore eidem aſſiſtant, facies velantes ſuas; quid porro hæc tot, ac tanta, quæ de Perſona Patris divinis mandata Litteris intelliguntur, de debito ipſi ſingulariter cultu nobis innuere, ac prædicare cenſeamus? Quod ſi vero operantem ejuſdem Patris virtutem intueamur, idem vel ipſa opera de illo tacite loquuntur, idemque hominibus præſcribunt Religionis officium. Quantum enim Univerſi Orbis uno concluſa verbo creatio, cum incumbentium Abyſſo tenebrarum nova introeunte luce depulſio, tum viſibilium quorumcumque varia, eaque (*c*) *in menſura, & numero, & pondere* abſoluta molitio, quantum Supernarum Virtutum, atque hominis inprimis ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam admirabilis, ac ſempiterna conſtructio, quantum perduellium Spirituum ex Pacis ſedibus in Tartarorum ſupplicia amandatio, & addictio, quantum univerſorum operum innixum Patris ſupercilio regimen, motus, & conſervatio, quantum denique ſupremum de homi-

(b) *I. ad Tim.* VI. 15. 16. (c) *Sap.* 11. 21.

hominum nedum factis, sed de voluntatibus etiam, & cogitatis, ac sive de prœmio, sive de pæna judicium, quantum, inquam, potestatis, quantum justitiæ, quantum gloriæ ea omnia inesse Patri testantur, quantumque simul humilitatis, tum reverentiæ, cum metus eadem ipsa nobis incutiunt? Scilicet hisce rebus noster in Patrem Cultus continetur; quem propterea in humillimo mentis, animique sensu, atque in timore, ac tremore Spiritus situm esse potissimum decet.

At vero, quæ timori cum spe discriminis ratio intercedit, eadem inter Patris cultum, ac Verbi, integro Divinitatis jure, oportet, intersit. Quamvis enim Filius sit *splendor Gloriæ, & figura Substantiæ* (*d*) Patris, tum, ipsomet teste, ille, & Pater (*e*) sint unum, cui proinde uni par obsequii munus conveniat; tamen, quod habet Filius in se, ut Sapientia (*f*) ipse sit Patris, ac nostra propitiatio fuerit pro peccatis, hinc profecto fit, ut novo quodam pietatis argumento, eoque grati animi, ac fiduciæ præsertim indice hominibus colendus esse videatur. O jucundissima vere nomina, Sapientia Patris, ac nostra *Propitiatio* (*g*) *pro peccatis*! Quam porro, & quantam, sive æternam Filii generationem, sive assumptam sibi in plenitudine temporis humanitatem considerem, lætitiam, fiduciamque animo affertis! Lætitiam tu, inquam, atque fiduciam vere ingeris, Sapientia, cum a Sæculorum primordiis, imo ab ante-

(d) *I. ad Heb.* 1. 3.
(e) *Ex Joan.* 10. 30.
(f) *Ex I. ad Cor.* 1. 24.
(g) *Joan. Epist.* 2. 2.

antevertente longiſſime ſæcula æternitate in ſummo Divinitatis, atque ſalutis noſtræ diſcrimine prudentiſſimam, percommodamque inieris conſilii rationem, qua te potiſſimum mediatricem, atque Hoſtiam placationis exhibens, Patris gloriam in priſtinum vindicaſti, & hominem pariter tibi debitum incolumem perpetuo præſtitiſti. Lætitiam vero, & fiduciam in eo maxime confirmas, Propitiatio hominum, Fili Dei, quod *in ſimilitudinem (h) Carnis peccati* noſtrorum tibi ſcelerum onus impoſuiſti; quod Chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, (*i*) e medio ſuſtuliſti, affigens ſcilicet illud Cruci; quod *factus pro (l) nobis maledictum* hoc maledictione tua promeritus nobis es, ut benedictionem, atque repromiſſionem Patris reciperemus. Cum autem æterna, perinde ac tempore definita conſilii tui opera Sapientiam te Patris, noſtramque pro peccatis Propitiationem perſpicue commonſtrent, ac prædicent, quommodo Te Deum unum cum Patre honore debito proſequentes, a grato animi ſenſu, ac perjucunda cordis fiducia temperabimus, præſertim cum per te unum ſempiternam a Patre beatitudinem expectemus?

Jam demum, quod certum Religionis officium ad Spiritum Sanctum pertineat, ipſamet ſui a Patre, & Filio Proceſſio, ne conjectura longius evagemur, ſatis luculenter denuntiat. Etenim cum mutuæ utriuſque caritatis Spiratio ſit

Para-

(h) *ad Rom.* 4. 19. (i) *Ex Ep. ad Col.* 2. 14.
(l) *ad Gal.* 3. 13.

Paraclitus, quis tandem obtrectare audeat, ne, qui natura ipsa Amor est, eidem præcipuus dilectionis cultus tribuatur? Atque eo potiori jure Amoris sibi obsequium a nobis ille deposcit, tum quod, cum illi diligendo impares omnino essemus, *prior ipse* (*m*) vehementissime *dilexit nos*; cum quod per Carismatum suorum largitionem hoc maxime præstat, ut suæ erga nos caritati respondeamus; tum quod denique flagrans, quam ipse creat, animorum nostrorum in illum voluntas nostræ cum Deo societatis vinculum firmissimum est, quo, peregrini licet a Patria, comprehensorum tamen gaudiis prope interesse videamur. An vero ab eo redamando parcamus, qui operosissimo Amoris Magisterio magnum instituit, & absolvit Incarnationis Verbi, atque salutis nostræ Mysterium? Quique tanto benevolentiæ argumento hoc potissimum egit, ut, qui sub jugo Legis constituti Filii servitutis, ac timoris extitissemus, iidem in Christi Regnum traducti per supervenientem, atque *inhabitantem* (*n*) *Spiritum ejus in nobis* libertatis, ac pulchræ dilectionis Filii essemus in posterum? Quid enim æquius excogitari unquam potest, quam ut libertatem cordis acceptam, eique super inditam caritatem assertori, ac largitori Spiritui totam devoveamus? Quod cum ipsius Caritatis indoli prorsus consentaneum sit, ut in primigenium, unde derivatur, fontem prono alveo contendat, ac refluat; tum nostræ præsertim utilitatis ratio hoc sibi

(m) *Ep. Joan.* 4. 19. (n) *ad Rom.* 8. 11.

sibi plane necessarium expostulat. Nam cum nihil optabilius animo nostro sit, quam ut a curarum, quibus æstuat, fluxu, ac refluxu liberatus, in Dei tandem gremio conquiescat; nulla sollicitudo animi impensior ea esse debet, ut susceptam a Spiritu caritatem in eundem diligenter exercens, beatissimam Dei consuetudinem, quoad viatoris conditio fert, quantocyus consequatur.

Adoremus igitur, qua decet, humilitate timendam ipsis Angelis Majestatem Patris; corruamus autem spiritu sub potenti dextera Excelsi; Patrem denique sortium nostrarum arbitrum, non ejusdem tamen bonitati diffidentes, reformidemus. Confugiamus cum bona spe, atque expectatione ad Patrem Misericordiarum, (o) & Deum totius consolationis, Jesum Christum Dominum nostrum; compellemus toto animo studio pro nobis Paternæ Gloriæ, ac Salutis nostræ instauratricem Sapientiam; hæreditatem vero Dei, quam suo nobis sanguine peperit, Propitiationem ipsam humillime flagitemus. Amemus Paraclitum sanctum nostri ab æternitate amantissimum, utpote Incarnationis Verbi effectorem, totiusque Redemptionis operis administrum; amemus, inquam, sanctæ Datorem dilectionis, atque eo consilio Datorem, ut a nobis ipse redametur; amemus tandem, tum illius, tum etiam commodi nostri gratia, ut per dominantem nobis caritatem suam jam amplius non simus nostri, sed Dei, ac cum illo in osculo Pacis, & gaudii æternitate beatis-

(o) *Ex II. ad Cor. 1. 3.*

beatiſſimi commoremur. Gratias autem, quantas poſſumus maximas, agamus perpetuo Trinitati, quod cum ſe nube tenus Chriſtiano Populo cognoſcendam permiſerit, certam eidem rationem, qua pro Perſonarum operibus, & officiis ab hominibus adoranda eſt, benigniſſime declaraverit.

FINIS.